





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O IN AVG<sup>V</sup>RALIS MEDICO-ANATOMICA  
DE  
NECESSARIA  
BREVI POST PARTVM  
SECUNDINARVM EXTRACTIONE

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIO<sup>S</sup>OR. PRAESIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

*PRO GRADV DOCTORIS*  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS  
AD D. XXX. IULII, A. S. R. cI<sup>o</sup> IOCC LVII.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**FRIDERICVS GOTTHILFF ROTTH**  
HALENS. MAGDEBURG.  
LITTERIS HEN DELIANIS.

DISSECTATIO NAVICARIA MEDICO-ANATOMICA  
DE  
Necessaria  
Præ post tractum  
SECONDARIA EXTRACITIONE

D. ANDREA ETIÆ BUCHNERO  
SACRA ROMANA IMPERII MOTTI

PONTIFICIAE RIBASSAE RIBA A CONSUERINTIMIS  
MICHINAE ET HEDONOMIAE VITAVANAE MONS. PAUL. ORDINARIO  
IMPENSIS VENDEZIAE NATALIAE CARISORI PRÆSTABE  
ET CONSILIO PLEBIS CUPERAT  
FACULTATI NIMO ET PROVINCIAE STYLATISSIMO.

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMOE IN MEDICO-HISTORIA AD PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS ETIÆ DOCTORIBUS  
ID D. XXI. 1413. A. 1313. C. 11.

IN DIA. RIBA TERTIORIUM A  
TUTOR

FREDERICAS GOTTHILF. ROTHE  
HAEC. HISTORIA.

ET HISTORIA.

PERILLVSTRI  
REVERENDISSIMO, GENEROSISSIMO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**DN. ADAMO OTTONI**  
**A VIERECK**  
POTENTISS. BORVSSORVM REGIS ET ELECTORIS  
BRANDENBURGICI A CONSILIIS STATVS AC BELLIO  
SANCTIORIBVS ADMINISTRO,  
SVPREMI RERVM BELLICARVM ET DOMANIALIVM  
TRACTANDARVM COLLEGII VICE-PRAESIDI  
ET DIRECTORI AMPLISSIMO,  
REGII PRVSSICI ORDINIS EQVESTRIS AB AQVILA NIGRA  
DICTI MEMBRO,  
ITEMQUE ORDINIS IOANNITARVM SENIORI ET COM-  
MENDATORI IN LAGOW,  
PRAESIDI SVPREMI COLLEGII MEDICI BEROLINENSIS,  
ECCLESIAE CATHEDRALIS HALBERSTADIENSIS CANONICO,  
ET COLLEGIATAE ECCLESIAE B. M. V. IBIDEM PRAEPOSITO,  
DYNASTAE ET HEREDITARIO IN WEITENDORFF,  
BVCH, COSSAR, RELIQUA,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO;

TRI NEC NON  
ILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI THEODORO  
ELLERO,  
POTENT. REGIS PRVSSIAE A CONSILIIS INTIMIS,  
PERSONAE REGIAE VT ET EXERCITVVM  
MEDICO PRIMARIO,  
REGIAE ACADEMIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS,  
ITEMQUE COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI DIRECTORI,  
SVPREMI COLLEGII MEDICI DECANO,  
COLLEGII SANITATIS ET ACADEMIAE CAESAREAE  
NATVRAE CVRIOSORVM SODALI  
CELEBERRIMO,  
PATRONO SVO  
SVMMOPERE DEVENERANDO,

DISCERNAM  
PARTIM  
GENERALIS ANTIQUITATE  
MAIORVMQUE GLORIA,  
PARTIM  
IMMORTALIBVS  
IN OMNEM REM LITTERARIAM,  
PRAECIPVE VERO MEDICAM,  
PARTIM DENIQUE  
ALIORVM EXIMIE FACTORVM  
SPLENDORE ATQUE MEMORIA  
CELEBRATISSIMIS  
ET  
IMMORTALITATI COMMENDATISSIMIS,



DEMISSISSIMAM  
OBSEQVII, VENERATIONIS, PIETATISQUE  
RELIGIONEM,  
**TANTIS NOMINIBVS**  
DEBITAM,  
PUBLICO QVODAM MONIMENTO  
TESTATVRVS,  
ET  
SE OMNESQUE RES SVAS  
IN  
**VIRORVM**  
**TANTA AVCTORITATE ILLVSTRIVM**  
CLIENTELAM ATQVE PATROCINIVM  
DEVOTISSIME COMMENDATVRVS,  
IN AVGVRALES HAS QVALESCVNQUE PAGINAS

D. D. D.

FRIDERICVS GOTTHILFF ROTTH.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO - ANATOMICA  
DE  
NECESSARIA  
BREVI ANTE PARTVM  
SECVNDINARVM EXTRACTIONE.



PROOEMIVM.

Cogitanti mihi tacite mecum,  
quidnam potissimum, lauream  
reportaturus doctoralem, con-  
scribendum disputandumque  
fusci perem, satis omnino am-  
plus in arte obstetricia patere  
visus est campus, ex quo, si qua eius in rei  
in me esset facultas atque exercitatio, optime  
quaedam exponenda expromere possem.  
Quandoquidem quocunque conspicias, anti-  
quissima, quibus ars salutaris fuit, tempora  
repetens, hanc ipsam artem maxime incul-  
tam,

tam, immo ad multorum perniciem male accommodatam deprehendes. Vitae enim pariter, ac necis in illa, vel bene cognita scienterque adhibita, vel minus percepta & in consulta, momentum aliquod grauius in quo quis partus genere positum esse, quis est tandem Medicorum, qui negare conetur? Antiquissimorum quidem temporum memoriam recolens, artem illam quantulamcunque & angustis limitibus video circumsciptam. Atqui ipso hoc nomine producere placet celeberrimum quandam recti iustique auctorem suaforemque, qui legibus quibusdam, artem quoque in obstetricibus esse debere, sanxit. Fuit ille magnus iustitiae praceptor, VLPIANVS, qui initio Lib:i primi Pandectarum voluit, *vt obſtetrices eſſent probatissimae & artis & fidei.* Adfuit etiam tunc temporis artis illius quaedam species, quae, si spatii ratio permetteret, exemplis in aprico poni posset. Verum enim vero recentiori tempestate claris sane studiis operibusque MAVRICEAV, HEISTERI aliorumque virorum incomparabilium suborta est in illo campo lux; quum vbique antea, ad multorum detrimentum, spissa caligine tectus conspiceretur.

Quan-

Quantaquanta vero illa sit, multa tamen adhuc in illo parum inuestigata, inculta, neque exercitio satis subacta iacent; vnde fit, vt haud raro parturientibus pariter ac soboli mors contrahatur. Cuius vero rei ratio si qua est adducenda, illa omnino non minima videtur, quod ars obstetricia in obscuris occupatur locis, eamque ob caussam opus suum magna cum deliberatione aggrediendum absoluendumque requirit: praesertim ubi, ob periculosisimam foetus locationem, hic cum matre simul exspirare videtur. Cuiusmodi exempla plurima MAURICEAV a) in observationibus suis adduxit: verbi caussa, quomodo ex foetus situ sit cognoscendum, vtrum sola manu, an instrumentis simul operatio sit instituenda? Quandoquidem hodie non ad veterum accedimus opinionem, qui, nulla coacti necessitate, instrumentis usi, carnicum instar, crudelissimam plerumque matri foetuique contraxerunt mortem. Quem enim fugit sectionis Caesareae periculum? primum illud veterum, in statu etiam leuiori, refugium, quod plerumque sola enchiriasi manuali absolui potuisset. Demortuum

B enim

a) MAURICEAV Obs. 346. 391. 394. 415. 428. 451. 757.

enim foetum per vias naturales potius, quam artificiales, euehendum esse, rectissime putat MAVRICEAV *b*), cui etiam adsentit HEISTERVS *c*). Haud aliter etiam se res habet, si caput abruptum relictumque est: in quo anticipiti casu veteres instrumentis, aut forcipe, aut vnto, aut rete vtebantur; quibus saepius ex improuiso puerperis inferebatur laesio, qua, si leuis etiam fuerit, accidente tamen inflammatione atque gangraena, mors est parata. Haec vero omnia saepius sola manu absolui posse, ipse, indultu beneficioque viri excellentissimi celeberrimique, BOEHMERI, in alma hac Fridericiana Professoris anatomici longe dexterissimi, multoties praesens expertus sum: quippe cuius expeditissima manu caput abruptum, absque instrumentis, salua matre, extractum vidi. Eadem fere res atque disputatio esse solet *de secundinarum extractione*; cuius necessitatem ali negant *d*), alii affirmant *e*). Atqui horum sententiam

istorum

*b) de Secl. Caesari.*

*c) Institut. Chirurg. p. 715.*

*d) Hier. FABRIC. ab AQUAPENDENTE, RUY SCH. in libello de  
uteri placenta, Amstel. 1725-26.*

*e) HEISTER in Institut. Chirurg. p. m. 1013. CELSVS, HILDA-  
NVS, MAVRICEAV, DIONIS, LEFORIN.*



ii

istorum falsa opinione esse longe verior-  
em certioremque, impraesentia argumen-  
tis euincere studebo, *necessariam breui*  
*post partum secundinarum extractionem*  
*expositurus.*



### §. I.

Atqui ut statim in commentationis huius  
limine ipsum indicemus fontem, ex  
quo secundinarum extrahendarum  
necessitatem deriuatur sumus, hunc  
ipsum in earundem structura atque  
mutua cum vtero connexione omnino esse quae-  
rendum, locupleti argumentorum apparatu dabi-  
mus demonstratum. Qua de re ipsa secundinarum  
indoles atque conditio ante omnia explicanda vide-  
tur, vt deinceps periculosisimus status, ex neglecta  
vel male adhibita earundem extractione oriundus,  
declarari possit.

### §. II.

Nobis autem foetum in vtero adhuc latentem  
contemplantibus permulta omnino occurunt, ad  
eius nutritionem, incrementum atque vitam tuen-  
dam conseruandamque ante partum perquam ne-  
cessaria, quae tamen deinceps, foetu in lucem edito,  
& permutato tunc sanguinis circulo, ob nouam par-  
tis cuiusdam functionem, ante partum impeditam,  
ipso autem inspirationis effectu sine impedimentis  
coortam, longe aliam faciem naturamque sortiun-  
tur.

tur. Adcuratius quidem in foetum adhuc latenter inquirentes, de situ eius vel naturali, vel praeternaturali, quid? quod de ipsius ratione atque conditione, dijudicare nos posse, quis dubitabit? At enim vero quum mihi minime sit animus, illa de re disputare, sed potius *necessariam brevi post partum secundinarum extractionem* in praefentia exponere: meum quoque in primis esse duxi, singula ea, quae ad foetum a primo conceptionis momento necessario requiruntur, paucis iam perlustrare.

## §. III.

Quae omnia mecum reputans, & foetum pariter, atque partes connexas cum illo copulatasque paulo accuratius contemplans, quatuor in censem venire deprehendo momenta. *Primo* scilicet inquiri oportere video, qua ratione foetus, ope funiculi vmbilicalis, cum tenso vasculo ac spongioso secundinarum corpore cohaereat; *deinde* monstrandum mihi probandumque erit, quod corpus illud spatium quoddam vteri occupet, & singulari superficie eius internae parti, mediantibus vasis, inferatur; *tum* exponendum, quod foetus propriis suis membranis circumvolutus sit, & *denique* quod haec membranae vasculo illi corpori adfigantur, & partim superficie sua externa internae illud applicent, partim vero immediate cum illo coniungantur, tandemque superficie sua interna foetum, cum vmbilico in liquore lymphatico natantem, inuoluant.

## §. IV.

## §. IV.

Omnis haec ad foetum pertinentes partes simul sumtae, constituant *Secundinas* sensu latiori comprehensas, quia euentu naturali plerumque partum sequuntur. Quapropter operae non esse existimo pretium, de earum denominatione eiusque ratione multa facere verba, quum iam iam inter omnes, artem salutarem profitentes, constet, quid per *Secundinas* sit intelligendum. Ad me quod attinet, lubenter ad *HIPPOTRATIS & GALENI* sententiam accedo, utpote qui vocabulo hoc graeco, τὰ ὑπερηφανία, (*CELSVS Secundas* vocat,) aut a sequendo, hanc ipsam vasculosam atque spongiosam partem significarunt. Non igitur peruersum videtur iudicium, quod omnes solidae & fluidae partes foetum circumdantes, & cum ipso a principio statim cohaerentes, verae sint secundinae.

## §. V.

Quum igitur plura deprehendantur, quae simul sumta secundinas efficiunt; de singulis quoque earum partibus differendum in praelentia mihi videtur. Quas dum intueor, video ex his partem omnium omnino maximam, quae vasculo-spongiosum corpus dicitur (§. III. num. 1.), & quod sensu strictiori secundinae audit, constantem scilicet ex innumerabilibus arteriis, venis, vasisque lymphaticis, quae in peripheria vteri hinc atque illinc mirifice disperguntur, artificiosissime complicantur, & ope cellulosa substantiae inter se, spatiis tamen quibusdam relatis, coniunguntur, quae tan-

dem vasa apertis suis finibus terminisque, in superficie secundinarum externa patentibus, vasculis superficie vteri internae se se insinuant.

## §. VI.

Quodsi itaque ad maximam hanc secundinarum partem respicias, constituant eam vasa venosa, arteriosa atque lymphatica (§. V.). Ex anatomicis autem constat, duas deprehendi arterias unamque venam, ab umbilicalibus ortam. Arteriarum rami multo minores, copiosiores, venisque magis intorti, nodosi ac subtiliores euadunt; quum contra venarum ramuli pauciores, adeoque maiores & crassiores arteriis conspicuntur. Quae vasa omnia, & arteriosa, & venosa, membrana quadam, interueniente mucilaginoso humore, inuoluta, efficiunt funiculum, quem vulgo dicunt, umbilicalem: qui mediae concuae secundinarum parti adhaeret, ubi vasa serpentino tractu in peripheria disperguntur, & in ramifications plurimas, minimosque tandem diuiduntur ramulos, immediata anastomosi a) gaudentes (§. IV.), postremo ad extremam partem apertis suis finibus mirifice dissipatos.

## §. VII.

Venae hae iam dictae, versus placentam ex foetu progredientes, mutuo semper sibi inuicem vniuntur, atque maiores sunt; neque mutua earum cessat coitio, donec ex omnibus unicus magnus trunca resulterat; e quo, postquam foetus umbilicum penetravit duo minores efficiunt rami, qui iecur infan-

a) RUYSCHEVS & DIEMERGOECKIVS p. m. 203.

infantis ineunt, atque cauam & portae venam perforant. Quo simili etiam modo arteriae venis adiunctae, & plurimae, & minutissimae, e secundinis ad foetum progressae, simulque subinde vnitae ac maiores semper factae, in duo magnos degenerant truncos; qui, postquam vmbilicum praetergressi sunt, a venis separantur, & vesicae lateribus, membranae cuiusdam interuentu, inhaerentes, in ramos tenduntur, & cum arteriae iliacae internae ramis complicantur.

## §. VIII.

Quod ad ipsam nunc spectat secundinarum *crassitatem* atque *figuram*, illa omnino ex vasorum directione atque conuolutione, membranaceae substantiae ope inter se connexorum, erit dijudicanda. Siquidem vasa vmbilicalia ad totam substantiam directa sunt, eamque perreptant, & tandem, plerumque mediis in secundinis, colliguntur, postquam multis ramificationibus, per ipsam eius peripheriam, in longitudinem & curvationem fuerunt dispersa; quo efficitur, ut ipsae secundinae circulares reddantur. Vteri enim superficies interna, cui adhaerent, qualis est; hinc quoque secundinae, quia molles sunt atque flexiles, ab utero hanc desumunt figuram. Quia de causa necessario pars interna concava, externa eleuata atque conuexa deprehenditur. Quum vero plurima vasa mediis secundinis sese innectant, media quoque pars omnium crassissima euadit, quum exteriores partes minore crassitate gaudeant. At de ipsa illius *magnitudine* aliquid certi definiri non potest. Nonnulli enim em-

bryo-

bryones habent organum perfectius paratum, quale est carnosa vteri substantia, hinc in aliis secundinae deprehenduntur crassiores, ampliores & sanguine abundantiores, in aliis vero spongiosiores & albidiores.

## §. IX.

Atque secundinae haec siue, ut alias quoque loqui mos est, *placenta vterina* in mulieribus vnicum tantum toties inueniri potest, quoties unus tantummodo in vtero latuit foetus. Quae res vero altera sese habet, quum plures simul, eiusdem vel diversi sexus, adfint foetus. Tunc enim plures quoque deprehendantur secundinae, necesse est. Tametsi enim, hoc ipso casu, & in foetu, & in gemellis, vnicam tantum adesse communem placentam, DIEMERBROECKIUS existimat; ad illius tamen partes minime accedunt HARVAEVs, & Regnerus de GRAAF. Licet enim vnicae tantum atque communis placentae species hic adsit, res ipsa tamen aliter est comparata. Gemellorum enim vterque proprias habet secundinas. At enim vero quoniam interdum per membranam quandam concretae deprehenduntur, ut easdem simplices tantummodo affirmarent, nonnulli sunt adducti. Adparet namque linea quaedam albicans, qua parte, leui manum diduictione, vnicum visa placenta in duas facile dividii potest; quarum quaevis singulari gaudet umbilicali ductu, ut WARTHON, Regnerus de GRAAF, & HARVAEVs existimarentur.

## §. X.

Omnis omnino conceptus foetus duabus continetur

tinetur membranis; quarum exterior interiore durior est robustiorque, & quae binae aquis, intus contentis, vasculi loco inferuiunt, embryonisque efficiunt inuolucrum. Totum hinc ipsae foetum ambient, quarum una interior, altera exterior dicitur: illa, humorem continens, tenuissima est, & Annos audit, id est, amiculum, quod foetum amicit & inuoluit; haec vero, quae multo maior & robustior est, Chorion nominatur, quod multae venae & arteriae in illo ipso sint tanquam in choro quodam congressae atque dispositae. Membrana haec totum uterum implet.

## §. XI.

Quum igitur membranae illae cum vasculo so illo corpore intime sint coniunctae (§. IX.), illa autem exterior spongiosa substantia superficiem extera nam circumdet (§. X.), facile hinc intelligi potest secundinarum cum utero connexio. Uterus enim est corpus quoddam ouale spongiosum, ex fibrillis vasisque sanguiferis inter se complicatis exstrutum, cuius substantia interna membrana quadam admodum subtili, fibrosa, magisque porosa, obducta est. Praeterea directio vasorum ita constituta est, ut arteriarum ac venarum ramuli vasorum seminalium aequie, ac abdominalium surculis, diuersimode inflectantur, atque cum illis complicentur, & sic ad internam usque superficiem se extendant: quorum multi cavitatem uteri ingressi, & maxime in eius fundo collecti & aperti reperiuntur. Quae de causa ipsa huius corporis spongiosi (§. II.) conexio cum utero dupli modo considerari potest:

C

nimis.

nimirum aut per cellulosam ac fibrosam substantiam, aut per vasā inter se immediate copulata. Quod ad primum, intelligi nequit, quomodo & vita conferuari, & foetui nutrimentum porrigi, & circulus sanguinis matris cum foetu communicari potuisset: hinc altera tantummodo ratio locum habet, quod scilicet secundinarum vasis cum uterinis immedia coniunctio intercedat.

§. XII.

Quae vero ita sane comparata esse debet conexio, vt, sine impedimento circulationis, sanguis, ad nutrimentum, incrementum atque conferuacionem foetus sufficiens, a matre foetui adferatur, superflius autem a foetu expedite ad matrem reducatur. Quod autem fieri non potest, nisi arteriae uterinae cum venis secundinarum, & vice versa, arctissime coniunctae sint atque connexae. Quamquam enim sanguis naturali modo ex corde per arterias ad omnes corporis partes transfertur & rursus per venas ad cor regreditur, alia tamen hic per ipsam foetus, in utero adhuc latentis, structuram ratio est. Atqui illo quidem circulo sanguis ex arteriis uterinas ad secundinas peruenire deberet. Verum enim vero quum ex perspecta iam circulatione sanguinis constet, quod in eiusmodi foetu sanguis per venam umbilicalem ad ipsum, per arteriam vero umbilicalem ad secundinas, & ex his demum ad uterum transducatur, praecipue in umbilicalium arteriarum ramifications sanguis ingeratur, necesse est. Hinc in aprico esse puto, ramifications arteriarum uteri cum ramifications venarum in secundinis coniun-

coniunctas esse oportere. Quod vero praeterea sanguis e foetu per arterias adducitur, naturaliter autem ex utero per venas reducitur, arterias secundinarum cum venis uterinis connexas esse, iure me. ritoque coniici potest.

**§. XIII.**

Venarum ex duobus diuersis corporibus conexio esse non potest, quia eiusmodi impulsus tunc non sufficeret ad sanguinem et foetu ad matrem perferendum. Quodlibet vero arteriae tantummodo coniunctae essent, tantam resistentiam sibi oppositam haberent, quantam ex propria, naturali, & viva via superare non possent. Quia de causa veritas connexionis ante (§. XII.) adductae ex his quoque intelligi potest: quamquam nonnulli inueniuntur auctores, qui circulum sanguinis modo (§. XII.) descriptum in dubium vocant, disceptantes, utrum sanguis ex sua natura indicato modo circumagatur, an subtiliores eiusdem partes, relictis crassioribus, exhalent, atque per secundinas ad foetum penetrant? Quapropter sanguinis motum, in foetu ab impulsu sanguinis materni dependentem, negarunt, & quidem his de causis:

*Primo*, quia in defunctis matribus foetus adhuc latens per tempus quoddam vitam agere posset,

*Secundo*, quod ob teneritudinem membranae arteriosae eiusque vasorum diametrum summe angustum nulli globuli sanguinei ad foetum transire possent; ob quam teneritudinem

C 2

Ter.

**Tertio**, immediata vasorum vmbilicalium connexio cum vterinis impossibilis esset, quia cavitates in vtero satis ampliae, & e contrario in arteriosa tunica, secundinas inuoluente, maxime subtiles essent.

**Quarto**, quod putrefacto vmbilico, ex diuersis causis, vbi secundinae adhaerent, foetum viuum in lucem editum fuisse constat, id quod tamen fieri non posset, si secundinae cum vtero conexae essent, &

**Quinto**, quod foetus absque funiculo vmbilicali nutritri posset, quia in casu praeternaturali, illo disrupto, tamen sit eductus.

#### §. XIV.

Evidem magno argumentorum apparatu ad has reiiciendas oppositiones vti possem, nisi ipsa translationis spatiique admodum angusti ratio breuem me esse iuberet. Quod vero ad *primum* attinet momentum, lubenter id totum concedo, & saluam tamen video thesin meam de immediata secundinarum cum vtero copulatione. Intuimus enim saepius foetus, ex vtero exfectos, defunctis iam aliquot horis ante, matribus superstites. Sed falsi aliquid hic coniectura format, si calor innatus eiusque vita a matre profluenter, emortua hac infantem quoque illoco extinctum iri arbitrata. Siquidem longe alter haec res se habet accuratius inuestigata. Foetus enim vita propria fruatur, habetque arterias pulsantes, & sanguine ac spiritibus plenas; quae vita

vita a vi ipsius viuida naturalique, & motu cordis, enatoque inde motu arteriarum dependet: approximante enim interitu partes subordinatae prius languent & refrigescunt, quam principales, ideoque cor ultimo omnium deficit. Quando igitur vita foetus a matre dependeret, sanguis ipsius foetus calorem primo amitteret, & muneri suo fieret inidoneus, vt pote ab utero deriuatus; quum & ipse uter, prius corde, omni vitali calore destituantur. *Secundum* argumentum facile ex eruditissimorum anatomicorum experimentis atque injectionibus refutatur. Teste enim *Regnero de GRAAF* illud argumentum non firmo stare talo cognoscimus: quae eadem sententia, certis rationibus demonstrata, *tertium* quoque argumentum infringit. *Quartum* vero iure meritoque in dubium vocari potest, quod foetus nimirum cum putrescentibus funiculo atque secundinis in lucem editus sit; quandoquidem quiuis, artem salutarem callens, facile huius rei impossibilitatem cognoscere potest. Putrefactio enim fieri non potest, nisi inflammatio antecedat: quae porro pars inflammata non, nisi stagnatio processerit, inflammatur. Hinc ante putrefactionem inflammatio cum praegressa stagnatione sanguinis in funiculo umbilicali adfuerit, necesse est. Qua praesente commercium sanguinis in foetu cum utero plane tollitur: sublato autem illo, tollitur etiam ipsa vita. Exstant enim exempla, vbi foetus, ob præternaturalem funiculi in utero circumvolutionem, ligature similem, demortuus fuit deprehensus. Cui eventui nulla alia subsuit ratio, quam quod illa

C 3

con-

conuolutione atque constrictione praesente, circulus sanguinis foetus, cum materni sanguinis motu communis, sufflaminatus est, foetusque, ob diuersos exinde ortos effectus, vitam amisit. Saepius etiam secundinae sanguine repletæ, cum funiculo subu-ridescente, vna cum foetu simul educuntur: illa au-tem mollis substantia & viridescens serosa pars mi-nime gentium putrefactio dici potest, siquidem potius certissimum humorum in matre corruptorum signum est, qui noxios, imo periculofos morbos producent. Neque etiam locum inuenire possumus, vbi materia quaedam purulenta ex infecta vte-ri aut secundinarum parte, absque dilaceratione membranarum foetus, profluere, & absque conne-xione vasorum e matre sanguis ad foetum peruenire possit. Tametsi etiam venae quidem nodos aliquot sive varices, quasi vesiculas sanguine plenas, obtinent, tantum tamen abest, vt ad negandam hanc ipsam secundinarum cum vtero coniunctionem ali-quid faciant, vt potius ideo a natura sint constituti nodi, ne sanguis in foetum confertim refluat. Quid? quod eam ob caussam instantे partu perfe-ctionem acquirunt: vt imperfecti autem circulum mintiere non valent; quod etiam interdum de cir-cumuolutione valet. Ad ultimum satis inconue-niens argumentum quod spectat, haud equidem funiculo disrupto interdum foetum educi negamus: disruptio autem haec plerumque sub ipsa eductio-ne accidit; alias enim viuus esse non posset foetus, siquidem, neglecta funiculi post partum ligatura, per impulsum cordis atque arteriarum sanguis ef-fluit,

fluit, & foetus eneruatur, immo vita penitus priuatur b).

## §. XVI.

Has, & experientiae, & demonstrationum idonearum verissimis argumentis extra omnem dubitationis aleam positas rationes, experimenta quaedam, ab experientissimis viris tam in hominibus, quam ceteris animalibus instituta, magis magisque confirmant. Sic enim exercitatissimus COWPERVS arteriae umbilicalis foetus cuiusdam, cum vtero adhuc coniuncti, injectionem cum mercurio viuo instituit; quo facto ramifications detexit, quae venis vteri insertae fuerunt. VIEUSSENIVS canis praegnantis arteriam quandam mercurio viuo repleuit, observauitque mercurium viuum embryonum corpora penetrasse. Porro etiam MERY mentionem facit praegnantis per octo iam menses foeminae, ex lapsu quodam fatali defunctae, vbi, absoluta abdominis dissektione, in eius cauitatibus magna sanguinis extrauersati copia, vterus vero cum secundinis adhuc aliqua ex parte connexus foetusque exsanguis inuenitus est. Quibus omnibus, instar omnium futurum adiiciam illustrem celebratissimumque Anatomicum, HEISTERVM, qui, spectantibus permultis viris doctissimis, subiectum quoddam, binos foetus gerens, dissecuit: quorum unus viuus editus est, alter vero, ob summam vteri haemorrhagiam, cum matre simul exspirauit; cuius dissecta vasa sanguini.

b) Vid. BURCHARTI Dissert. sub Praef. Excellent. BOEHMERI,  
de necessaria funiculi umbilicalis deligatione, anno 1745.  
Hanc nostrae ventilata.

sanguine vacua, in vtero vero secundinas viuentis separatas, alterius autem demortui vtero adhuc per vas a adhaerentes deprehendit.

§. XVII.

Quibus omnibus iam explicatis necessitatibus copulationis secundinarum cum vtero facile dijudicari posse, non dubitamus, postquam exposita secundinarum structura (§. IV. VI. & IX.), earundemque connexio cum foetu, ope vasorum, indicata (§. VII.), vterique etiam structura descripta (§. XI.), coniunctioque eiusdem cum secundinis demonstrata (§. XII.), & ipsa argumenta, illam destruentia (§. XIII.), partim ipsa ratione & auctoritate virorum perspicacissimorum (§. XIV.), partim experientia (§. XV.) testimoniisque virorum itidem doctissimum, hanc cohaesioneis veritatem confirmantium (§. XVI.), sunt refutata. Quibus consideratis sanguinis, & matris, & foetus, per vas commercium cognosci potest: quod nimur ille vitalis humor ex arteriis vterinis per venas umbilicales ad foetum perueniat, & inuerso ordine ex arteriis umbilicalibus in venas restuat vterinas (§. XII.). Ex qua sanguinis circulatione ipse foetus tam nutrimentum, quam incrementum defumit (§. citat.). Placentae enim usum verum in eo consistere iudicamus, quod umbilicalia vasa fulcit & idoneum foetui alimentum praeparat: vnde & grauidae, quibus in vtero placenta est, alimentum ad spongiosam hanc & carnosam substantiam demittunt, & per vteri vasa, foetui suppeditant. Ex quo etiam contingere solet, ut embryonibus vietus aut purus, aut illaudabilis fugera.

geratur; prout matres sanguinem bene maleuerunt  
constitutum habent, & cibo probo aut improbo fuerint vsae.

## §. XVIII.

Atqui horum omnium explicationem ideo  
praemissimus, vt, exposita secundinarum, partium-  
que coniunctarum structura, confirmataque huius  
connexions cum utero utilitate, rationes habeamus  
locupletissimas, ex quibus in aprico poni possit, cur  
ex relictis post partum secundinis noxii plerumque  
effectus sint expectandi: *noxii* ideo merito appellandi,  
quia illis neglectis ac relictis maximum per-  
iculum oriri videmus, licet aliquoquin omne partus ne-  
gotium vel maxime fuerit in vado.

§. XIX.

Secundinas, resecto foetus funiculo vmbilicali, prorsus esse inutiles, immo perniciosissimas, extra omnem dubitationis aleam est positum. Quod igitur ampliori argumentatione minime indigere iudico, quum ex iis, quae antea dicta sunt, pateat, commutatam sanguinis circulationem, vietumque longe aliud, quam quo vsus est foetus, in vtero adhuc latens, oriri post partum, eamque partem, qua cessat circulus ad foetum directus, necessario pustescere: id quod non modo vtero magnam perniiciem, verum etiam totius corporis humoribus eandem attrahere potest corruptionem.

§. XX

Porro autem accuratius intuiti motus, ad partum efficiendum necessarios, deprehendimus eos

三

### **elasti**

elasticitate vteri eiusque vi viuida atque efficaci produci, quae insignis efficacitas potissimum contratione in fundo vteri conspicua manifestatur, diversoque admittit gradus. Interdum enim remittit, mox recedit & continuatur, donec ea omnia, quae vterum ad naturalem contrationem stimulant, eieeta sint atque remota: qui efficaces motus dolores vterini dicuntur. Tendunt itaque illi modo indicato ad expellenda ea, quae in vtero adhuc residua deprehenduntur, eumque, pro ratione corporis extendentis, in certa quadam extensione conseruant. Motuum autem varietate successive in naturali partu perficitur foetus expulsio, & inter illos non modo separatio secundinarum antea firmiter adhaerentium contingit, sed etiam ad ipsum partum ingens inde resultat adiumentum.

### §. XXI.

Saepe tamen numero accidere deprehendimus, partim sub facili celerique partus naturalis euentu, quum successiva secundinarum separatio fieri non potuit, partim vero & saepissime sub inordinario foetus situ, secundinas adeo firmiter fuisse adfixas, ut via consueta modoque recepto arripi minus potuerint, sed in vtero fuerint relictae. Inde fit, vt, quod ad primum attinet, puerpera, salua atque incolumis antea visa, mox in summum vitae discrimen perueniat; alter vero status ideo sit paulo tolerabilior, quum iure meritoque ii, qui maximum in obstetricando perficere potuerunt negotium, callere quoque existimandi sint artem, modo non ordinario atque consueto, sed artificiose arripiendi

piendi secundinas cunctaque ratione optima perficiendi.

§. XXII.

Secundinarum vero diuersam si spectamus rationem, quatenus illae modo sunt solutae, modo firmiter adhaerent; inquirendum omnino antea est, cui potissimum vteri parti in quauis partus conditione adfixae sint: ad quod pro diuerfa rei ratione responderi potest. Inuenimus enim illas, sub ordinario foetus situ, vteri fundo annexas, & partu iam peracto saepius vel sua sponte solutas, vel ita comparatas, ut facilissimo negotio auelli extrahique possint, raro vero accretas adnatasque. E contrario, in partu praeternaturali situque foetus peruerso, easdem modo superiori, nunquam tamen mediae vteri parti, modo lateri, nunc anteriori, nunc posteriori, nunc vero ostio vteri adiacere & adhaerere videmus.

§. XXIII.

Porro quoque haud difficile est cognitu, qua ratione fieri possit, vt secundinae omni superficie interiori vteri adhaereant: quum ex ante disputatis pateat, vterum magna vasorum multitudine constare, ipsamque horum copulationem cum secundinis, partim per cellulosam substantiam, partim immediata coniunctione diuersi generis vasorum constitui. Vbicunque igitur, facta conceptione, fibrillae exteriori ouuli superficie annexae, ipsaque vasa capillaria, vasa vteri, pro ipsius ratione, prehendunt, sequitur ipsa coniunctio, &, pro gradu extensio eius, ipsorum commutatio. Plurima autem

D 2

vasa

vasa deprehenduntur in fundo vteri; quae de re huic maxime adhaerent secundinae. Ex quibus tamen concludendum non est, eas necessario hic, nec alio loco, esse posse adfixas. Quamquam enim uter, quoad reliquam superficiem, non adeo abundant vasis, quam in ipsis fundo, adsumt tamen in vniuersitate illius superficie quaedam, quae ita comparata sunt, vt cum secundinis complicari, ideoque a sponsa horum locorum tunica firmari possint.

#### §. XXIV.

Amplius vero demonstrandum mihi est, cur secundinae, pro diuersitate partus, modo magis, modo minus, & plerumque nulla ex parte adnatae inueniantur. Ad alimentum in utero foerui comparandum porrigidumque requiritur necessario, vt secundinae in matre genitrice cum ipso utero copulatae, &, vt ita dicam, adnatae sint; interim tamen illa separatio, breui post partum, naturali modo fiat necesse est. Atque licet etiam relictae secundinae plerumque adnatae dicantur, (quod fieri saepe posse non negamus); maxima tamen eius rei inscita palam subest, si inter obstetricandum propter adhaesionem, relictae fuerint secundinae.

#### §. XXV.

Quodsi itaque accidat, vt secundinae in fundo vteri acriter sint adstrictae, eo in loco adhaesionem esse deprehendi potest, quo maxima ab illo adhiberi percipitur vis. Constituit autem illum locum, secundum RUY SCHIVM, muscosa substantia, & cognoscimus in illa, durante adhuc grauiditate, satis distincte conspicuas ac inordinate flexas fibrillas carnosas;

nosas; quarum virtute vteri contractio potissimum producitur, secundinae successiue separantur, cum foetu extruduntur &, sub situ foetus vterique perpendiculari, expellens actio in secundinas, medio fundo adfixas, in omni parte vteri pari modo exercetur.

### §. XXVI.

At enim vero si secundinae non omnimode ab hoc fundo medio firmiter tenentur, aut forte accidens partus admodum repentinus vicissitudine dolorum successiue euenturam secundinarum separationem impedit, aut si ipsae secundinae, vel ex parte, vel totae extra hos terminos deprehenduntur, quum alii parti sese inseruerint, tunc partim substantia musculosa, ante descripta (§. XXV.), tantum auxilium praebere non potest, quantum ad separationem requiritur; partim vero latus illud, cui adhaerent secundinae, ob maiorem sanguinis atque humorum adfluxum necessario magis extenuatur crassiusque redditur; vnde aequilibrium motuum & fundi vteri, vinculis elasticis observati, aliquo modo aufertur, simulque situs praeternaturalis partim vteri, partim foetus producitur.

### §. XXVII.

Inquirentibus igitur nobis, vtrum secundinae in vtero relictae minus noxiae sint, an perniciosissimum periculosisimumque statum adferant, primo distinguendi sunt casus causaeque retentionis, deinceps vero ipsa res accuratius est ponderanda, euitandum omne praeiudicium, adhibendaque attentio practica; ne, vt saepius fieri solet, futilibus argumentis

mentis in medium productis, secundinas sine omni periculo, non modo per aliquot dies, sed totas hebdomas, quid? quod menses in utero latere posse, adfirmemus. Siquidem tristissima experientia saepius testata fuit, quod relictas & putrefactas secundinas uteri inflammatio aliaque mala, hinc necessario orta, sint insequuta.

### §. XXVIII.

Plures autem post partum huiusmodi casus accidere possunt: quippe tunc secundinae vel separatae sunt, vel adhuc adhaerent. Prior si adfuerit status, ut illae relinquantur, causa tunc latet vel in inficitia eorum, qui dextre arripere secundinas non didicerunt, vel in ipso utero, cuius interdum repentina quaedam spastica superuenit constrictio, non nunquam, dum vel continuatur, vel adaugetur, teste RUY SCHIO, tristem mortis euentum productura. Quodsi vero secundinae cum utero adhuc sunt coniunctae, illa ipsa coniunctio vel in omnibus, vel in quibusdam tantum partibus esse potest. Vnde, si tunc separatio negligitur, relictæ secundinae magnum quoque excitant periculum; quamquam subsequens status non idem, sed, pro ratione puerperæ, diuersus esse solet.

### §. XXIX.

Minime autem boni aliquid euentus sperari posse, sed pro rerum praesentium conditione maius minusue contrahi periculum, si secundinae retinentur, sequentibus idoneis rationibus euincere conabor. Impedimenta scilicet dantur graviora, quo minus uteruſ, quod tamen post partum requiritur, denuo

denuo contrahi possit. Cuiusmodi corpora quamdiu in vtero adhuc sunt relicta, tam diu commotiones vehementissimae durant: ad quas producendas secundinae, iam a foetu separatae, tanquam corpus inutile & alienum, continuo vterum irritant excitantque. Qui vero motus continui, licet ab initio sint sine effectu, sensim tamen vtero comparant inflammationem, tandem febris inflammatoriae sodalitio auctam. Nisi enim vterus, ab omni materia aliena liberatus, ad aequalem ex omni parte contractionem aptus est redditus, facile in illo oritur, & quidem vehementissimis cum doloribus, febris inflammatoria: quae tamen pernicies in vniuersum omnis manu opportunissime adhibita caueri prohiberique potest.

**§. XXX.**

Relictas etiam secundinas vel haemorrhagiam, vel suppressionem lochiorum insequi videoas. Prior necessario hinc proficiscitur, si vasa patent, quae impedita contractione claudi non possunt. Tunc enim omne auxilium internum frustra adhibetur; quam e contrario illa medendi ratio, qua corpus inutile amouetur, & hinc requisita atque necessaria contractio restituitur, maximam adfert utilitatem. Siquidem vasa tunc ordinarie claudi possunt, simulque exinde pernicioſissima eiusmodi haemorrhagia remouetur. Contra ea vero lochiorum suppressio producitur, quod, propter concretionem inter secundinas atque vterum, loco necessarii defluxus, stagnatio sanguinis exinde oritur, prima repentinae celeriter in maius crescentis inflammationis cauſa.

**§. XXXI.**

Ex rationibus tandem physicis pariter atque experientia constat, relietas secundinas in calidissimo suo receptaculo mox putrefieri: quo facto interdum febris putrescens atque mortifera accedit. Vnde facile iudicari potest, vterum non modo corruptione affici, sed etiam totam ipsam massam sanguinis, humorumque omnium, hac ipsa imbuī, & in eandem commotionem putrescentem perduci. Quibus omnibus sic comparatis tantum abest, vt puerpera hinc vires animumque denuo sumat, vt potius post partum magis debilitetur. Relictis itaque secundinis, ipsam puerperam ex imprudentia succumbere, saltem maxima infirmitati atque summo periculo tradi, quis est, qui dubitet?

§. XXXII.

At vero pro ipsa varia symptomatum conditione ipsa quoque varia est virium defectio. Sunt vero illa continui dolores, spasmi, pressio abdominis, haemorrhagia, suppressus aut saltem ex parte impeditus lochiorum fluxus, somnus deficiens, anxietas, syncope, motus febriles, quid? quod ipsa febris, cum pulsū modo contracto, modo debili celebrique, capitibz dolores, prostratus appetitus, sitis insatiabilis, conatus vomendi, ipsique vomitus. Sic ubi vero, praesente febre inflammatoria, acciderit, vt, quae iam iam sunt deglutita, sine magna virium contentione virulenta bile mixta denuo euomerentur, dolor autem antea vehementissimus statim remitteret, abdomen intumesceret, febris permaneret, & cum omnium virium prostratione, deliquis animi,

animi, & refrigeratione extremitatum, motus con-  
vulsui orientur: omnia haec indicia sunt certissima  
mortis paulo post subsequutae; dum inflammatio  
vteri in sphacelum abit, totique corpori adfert cor-  
ruptionem. Quorum symptomatum magna fane  
obseruatur varietas, quae plerumque tristi termi-  
nantur euentu, qui primis statim diebus vel in haem-  
orrhagiam definit, vel, crescente inflammatione, in  
gangraenam. Quodsi vero nonnunquam febris at-  
que inflammatio celeriter augeretur, tunc eiusmodi  
effectus noxii usque ad diem decimum quartum vel  
vicesimum primum perdurant: nisi forsitan praeter-  
lapsio die septimo & nono maligna superueniat febris,  
vitae finem constitutura.

## §. XXXIII.

Naturales vteri motus secundinas quidem saepius  
amouere valent, ita, ut illae, interdum diei noctis que  
spatio, priusquam in putredinem abeunt, illorum  
motuum auxilio extrudantur, si quidem non amplius  
fuerint adnexae. Similiter vero, ac praesupponas, se-  
cundinas antea auelli debere, id partim maius tem-  
poris spatium exigit, partim maioribus cum dolori-  
bus & ipsa coniunctum est suppuratione, qua separa-  
randae sunt secundinae. Rebus ita constitutis, in-  
flammatione necessario requisita, saepius accidit, ut  
secundinae vel totae, vel in partes disruptae, die  
quarto, aut septimo, aut decimo quarto, aut diutiis  
adhuc, maximo cum vitae periculo separentur. Re-  
linquitur quoque saepissime pars quaedam secundi-  
narum firmiter vtero adnexa; cuiusmodi exemplum  
me conspexisse ipse memini in demonstrationibus

E

anato.

anatomicis Viri Excellentissimi & hac in re versatis.  
mi, BOEHMERI, quum in muliere quadam, mense  
post partum praeterlapso demortua, omnis vterus  
adhuc obumescens inflammatusque conspiceretur,  
sola parte vteri, cui eiusmodi portiuncula adhaes-  
rat, penitus in sphacelum conuersa.

## §. XXXIV.

Quodsi accidat interdum, ut secundinae reli-  
ctae tempestiuem amotae sint, puerpera tamen non-  
dum extra omne periculum posita censenda est,  
quod imprimis labor, antea in hac re occupatus, sae-  
pius dolore continuo, & retenta necessaria expur-  
gatione, magnam sanguinis commotionem febrilem  
que ardorem cum malignis purpuris producere so-  
let. Ex quibus luculenter appetet, puerperis hoc  
ipso eximios dolores allatos, quid? quod vitae dis-  
crimen esse contractum. Eadem vere ratione res  
comparata est cum parte secundinarum relicta, aut  
relictis membranarum particulis.

## §. XXXV.

Omnia itaque haec tenus exposita rite contem-  
platurus, rebus sic constitutis nequaquam ab inter-  
nis medicamentis omne exspectari posse auxilium,  
facillime perspiciet. Sub partu quidem imperfecto  
motus vteri naturales sine magno discriminе reli-  
ctas secundinas extrudere possunt: quem eundem  
esse etum tunc quoque itidem a medicamentis inter-  
nis exspectaueris; quoniam eo temporis punto se-  
cundinae neutquam tanta firmitate vtero adhaerent,  
quanta sub partu tempestiuo atque perfecto.

## §. XXXVI.

§. XXXVI.

Dantur itaque & externa, & interna secundinarum amouendarum remedia: illa requirunt enchiresin peculiarem, haec vero medicamenta. Nunquam vero sine summa necessitate remedia interna adhibenda sunt, dum enchiresis, statim ab initio & tempestive adhibita, celerrimum partiter, ac tutissimum adfert auxilium, quo maximis doloribus casibusque periculosis optime brevissimeque mederi possit. Rebus enim sic constitutis sola singulari quadam naturae bonitate minime nitendum est: quoniam foetus exclusionem, ob indolem harum partium elasticam, constrictio vteri sequitur, ex qua secundinarum putrefactio facile oriri solet. Accedat igitur, necesse est, ad intimorem partium cognitionem maior quaedam cautio, & ante operationem exquisitior totius conditionis, in qua & foetus, & puerpera sunt, investigatio. Quo in opere nulla adhibenda est vis; qua ab obstetricibus male informatis secundinae saepius disrumpuntur, & haemorrhagiae excitantur periculissimae: non sine insigni summae harum rerum inscitiae documento.

S. D. G.



E 2

NOBL.

\* \* \*

NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
CANDIDATO  
S. P. D.  
PRAESES.

*Quo antiquius iam obstetriciam artem, tanquam Chirurgiae particulam, Medici sibi vindicarunt, & quo iniustius deinceps eiusdem exercitatio paene ad solas rediit mulieres, plerumque audacia atque inscitia magis, quam scientia atque dexteritate insignes: eo maiores amplioresque merentur laudes ii Medicorum, qui hanc quoque medicinae partem suae curae demandatam existimant, neque, scubi opportuna se obtulerit occasio, miseris puerperis obstetrics admouere manus recusant. Quorum ex numero TE quaque, NOBILISSIME CANDIDATE, partim iam fuisse, partim in posterum fore, luculenter satis TVA declarat. Dissertatio sollemnis, TVO, quod in proverbio aiunt, Marte elaborata. Quod idem singulare profectuum TVO-RVM, in re medica acquisitorum, specimen prolixam illam spem atque expectationem, quam mibi ceterisque celeberrimis Academiae nostrae Professoribus, quorum prelectionibus adsidua diligentia indefessoque studio interfuerit, locupletissime inieceras, abunde confirmauit. Proinde fieri non potest, quin, exquista buiusmodi eruditione ornatus, summisque nostrae scientiae honoribus auctus, quocunque TE TVA vocauerint fata, res TVAS, & in TVI nominis honorem, & in aliorum, aegrotantium in primis, salutem emolumentumque felicissime sis acturus, simulque mei, quippe TE optimis prolixeque conceptis votis prosequentis, gratissimam memoriam sis conseruaturus. Vale. Dab. Halae, d. VII. Calendar. Augusti, ccccclvii.*

PRAE-

\* \* \*

PRAENOBILISSIMO ERVDITISSIMO QVE  
SVMMORVM HONORVM MEDICORVM  
**CANDIDATO**

S. P. D.

**PETRVS IMMANVEL HARTMANN,**  
MEDICINAE DOCTOR, ACADEMIARVM QVE, CAESAREAE NA-  
TVRAE CVRIOSORVM, ET ELECTORAL. MOGVNTINO-  
ERFVRTENSIS SCIENT. VTLIVM SODALIS.

*Quo tenuior inter Medicos eorum numerus esse solet, quibus non satis est, eam callere scientiam, quae medicamentis morbos tollit, sed qui eam quoque medicinae partem, quae manu medetur, maxime omnino dignam aestimant, cui addiscendae exquisitam nauent operam: eo maioribus erectior eorum indoles laudibus extolli meretur, qui, quum ultra Medicorum vulgus sapere volunt, non solum utrique vniuersae medicinæ, tam medicamentis, quam manu sananzia, omne consecrant studium, sed eam quoque in primis artis chirurgicae partem, quae obstetricibus manibus puerperarum nisus laboresque subleuat, frequentibus exercitiis familiarem sibi reddere student; aequale operae pretium factuvi sibi visi, si nascituri nascentisque hominis pariter, ac natiam atque adulti vitam sanitatemque, quomodo cuncte possent, curiose tuerentur. Quorum numero, quum & TV, PRAECLARISSIME AMICE, sis accensendus, eo prolixius de honoribus summis medicis, TIBI mox conferendis, laetor, quo certius exinde noui, amplissimum in celeberrima bac Fridericiana Medicorum ordinem nemini banc supremam dignitatem conferre potuisse TE digniori. Namque, ut omittam, TE Helmstadii quoque per quoddam temporis interuallum a celeberrimorum virorum, HEISTERI atque FABRICII, ore pependisse: id omnino me silentio praeterire non*

E 3

opor-



oportet, quod Halae nostrae singulos illustres excellentissimosque artis nostrae doctores, omnem scientiae medicae ambitum doctissimis praelacionibus illustrantes, diligentissime audiisti, & ad haec, duce in primis viro exercitatisimo, BOEHMERO, aliquot exercendae artis obstetriciae cepisti experimenta. His ergo multiplicis scientiae medicae ornamenti instructus, insuperque supremo eiusdem honore, tanquam virtutis & industriae praemio, mactus, numerosa in posterum laborum TVORVM pretia copesset, in TVI gloriam felicitatemque, plurimorumque aegrotantium solatum redundatura. Quod superest, si me porro eo habebis loco, quo singulos habere soles amicos TVOS, nihil certe facturus es, quod magis cum animi mei conueniat voluntate. Vale. Scrib. Halae, d. XXIV. Iulii ccccclvii.

---

**E**cce! Triumphus adest, dignaque labore Corona

Laurea, quae redimit tempora Amice TVA.

Ardua iam referare paras, & scandere Templa

Virtutis, superans limina Victor ouans.

Fama volat, meritasque TVAS annuntiat orbi

Laudes, quas referunt aequora, saltus, agri.

Iam fugiunt morbi, macies turpisque podagra,

Pallidus & languor quoquot abeste procul

Summus honor profit! quem iam TIBI tradit Apollo,

Quaevis eueniant fausta simulque precor.

Ludouicus Ehrentreich Christoph Mieg,

Regius in supremo, quod cursus publicos dirigit,

Collegio, expediendarum rerum Secretarius.

---

**W**ann Asclepiades von einen Arzte spricht,  
So schreibt er, jeder Arzt ist dazu höchst verpflicht,  
Stets sicher, angenehm und niemals zu verweilen,  
Nur jederzeit geschwind zu helfen und zu heilen.

Dies

Dies, Bruder! wünsch ich Dir, da Dich Hygea liebt,  
 Die Dir den Doctor-Hut jetzt zur Belohnung giebt,  
 Der Himmel gebe Dir Kraft, Seegen, Heil und Glücke,  
 Und stärke Deinen Muth bey niedrigen Geschick.  
 Dein Angebenken wird hier unverweslich seyn,  
 Schließ nur in Deine Brust den besten Bruder ein;  
 Du eilst so schnell von uns, drum laß Dir dies gefallen,  
 Hat Dich das Glück entfernt so denk an uns vor allen.

**D. Johann Philipp Roth,**  
 Medicinae Practicus in Eisleben,  
 der Grafschaft Mansfeld.

**F**reund, Bruder, welchen unsre Seele  
 So sehr als wie sich selber liebt,  
 Erlaube, daß sie nichts verhele,  
 Was Dir das Herz übergiebt.  
 Hier folgt die Wunsch aus reinem Triebe,  
 Den jetzt die Pflicht von uns begeht,  
 Wann man dergleichen schuldig bliebe,  
 Wir wären doppelt Strafe werth.

Das Feld reicht uns mit frohen Blicken,  
 Nach Hoffnung, das vermehrte Gut,  
 Dir schenkt Apollo, mit Entzücken,  
 Den längst verdienten Doctor-Hut.  
 Aus beidem wollen wir die Lehre,  
 Zu unsern eignen Vortheil ziehn,  
 Erwünschtes Glück und wahre Ehre,  
 Erfordern Arbeit und Bemühn.

Dir aber wünschen wir viel Segen,  
 Zu Deinen frohen Ehrentag,  
 GOTT gebe, daß auf Deinen Wegen,  
 Das Glück Dich stets begleiten mag.

**Das**

\* \* \*

Das, was Du einst den Kranken giebest,  
Vertreibe stets des Todes Gifft.  
Gedenk an alle die Du liebest,  
Und auch an diese Unterschrift.

M. S. R. geb. H.

A. J. H.

C. W. Rotth,

dirigir. Bürgemeister und Rathmann  
zu Neuwarp in Vor-Pommern.

*Monsieur,*

J'ai tout sujet de prendre le plus grand plaisir à une circonstance aussi intéressante pour vous & pour vos amis sincères, que l'est celle de la nouvelle, que je viens d'aprendre, du bonnet doctoral, qu'on vous a destiné, MONSIEUR, & dont vous allés être honoré pour juste récompense de vos veilles & de VOTRE application, & pour être par là plus à même de jouir de fruits d'un profond savoir & d'une expérience soutenuë par la solidité des connaissances, que vous avés déjà acquises. Voilà donc, MONSIEUR, réunies dans VOTRE chère Personne les qualités les plus propres pour former un Medecin habile, & un tel, qui puisse sous les auspices de Dieu esperer un heureux succès de ses conseils & de ses remèdes. Je souhaite de tout mon coeur, que VOTRE bonheur n'égale pas seulement, mais qu'il surpassé même celui de MESSIEURS VOS FRÈRES, à fin de pouvoir accomplir parfaitement l'esperance des VOTRES & la joie, qu'ils auront lieu de sentir à la vuë d'une famille solidement placée. Au reste je vous embrasse, MONSIEUR, en me flattant, que vous me conserverés toujours vos bonnes grâces, & j'ai l'honneur d'être avec un attachement à toute épreuve,

*Monsieur,*

*Votre*

à Halle ce 25 Juillet  
1757.

très humble & très-obéissant serviteur,  
Chrétien Frédéric Schütze,  
de Neuwarp en Pomeranie, Etudiant en Droits.

—  
—  
—

01 A 6602

ULB Halle  
002 932 512

3





B.I.G.



DISSENTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-ANATOMICA  
DE  
NECESSARIA  
BREVI POST PARTVM  
SECVNDINARVM EXTRACTIONE

QVAM  
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BVCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

AD D. XXX. IVLII, A. S. R. C<sup>I</sup>O I<sup>CC</sup> LVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS GOTTHILFF ROTTH

HALENS. MAGDEBVRG.

LITTERIS HENDELIANIS.